

petit. Non latuit ea res Nizamalucum. is, ne geminum pro uno jugum acciperet, armato milite prior locum infedit. Neque Prætori tentanda res visa per vim, dissimulato consilio, & renovata cum Nizamaluco amicitia; ad lustrandam Borealem plagam de more perrexit: nullaque memorabili gesta re, Goam ante hyemales motus revertit. Sub hæc Idalcan victis perduellibus ferox, in Canarinum limitem præfectos cum exercitu misit. Ii excelsis tumulis castra posuere. præterfluebat amnis incerto gurgite, præcipitibus utrinque ripis. ex hisce munimentis Mahometani crebra excursione terrestres ab Goa commeatus arcebant. Adversus eos Prætor ex insula peditum tribus fere millibus & paucis equitum turmis in continentem traductis, cis flumen e regione hostium in ipsa valle confedit. Mahometani interim e superiore loco incendiarias bolides & varii generis tela torquere. Prætor, conferendæ cominus pugnae avidus, quod ponti materia deesset, transitum ex omni parte circumspicere. postquam dubias voragines & cuncta undique prærupta cernebat; admotis acriter equo calcaribus, uti erat cataphractus, qua in arcum coibat flumen, immani saltu transmisit: ac tanta fuit incitatio, uti diruptis ephippiis propemodum ex equo delaberetur. Idem ausi ducis exemplo quidam, protinus in terram effusi, & ruentibus super eos equis obtriti. cæteræ copiae, simul atque trans amnem conspectus est Prætor, qualicunque demum reperto vado, per æqua per iniqua trajiciunt: ardentisque animis in hostem adverso clivo succedunt. Non tulere impetum Indi. vixdum inito certamine, queis nullum in fuga dedecus, terga vertere. neque per aspera & confragosa evadentibus Prætor diutius institit. Missi dein ultro citroque legati; & ex utriusque gentis commodo redintegrata pax est. Nec minori felicitate per id fere tempus in Brasilia quoque compositi bellorum tumultus; cum, orto Lusitanos inter & Salvatoris accolae jurgio, ab Joanne Rege Brasiliae defecissent. Sequuta dein quies. perque eam tranquillitatem liberior excursus Evangelio patuit. Thomæ Sosæ Prætori jam ante successerat Eduardus Acosta: & peropportune cum eo insignes adveniant e Societate JESU viri Ludovicus Grana, Blasius Laurentius, Gregorius Serranus, Joannes Consalvus genere Lusitani, Antonius Blascus Castellanus, & qui provinciam hodie regit, Josephus Anchieta Cantaber. Hisce adjutoribus instituræ aliquot locis Ecclesiæ, atque in pago præsertim, cui Piratininga nomen: vagique Brasiliae, quo commodius erudiri possent, paulatim in vicis aut oppida contributi. Atque hic etiam miraculis nonnunquam Deus prædicationi adstruebat fidem. Inter cætera illud insigne referunt: Bello inter Piratiningæ incolas & finitimas gentes exorto; cum in aciem exissent Piratiningani, nec opinata multitudine hostilium copiarum exterriti fluctuabant. Erat in exercitu virilis animi femina, paulo ante sacro lustrata baptisate. Hæc, percussos metu conspicata viros, magno animo hortatur, uti signo Crucis, Christiano more, se muniant, ac proelium sine dubitatione committant. Factum uti monuerat, ac dempto pavore tantus repente ardor atque fiducia cunctis injecta; uti alacres ac celsi pugnam inierint; magnaue edita strage, hostem in fugam averterint intacti omnes, duobus tantum exceptis, qui salutaria piæ mulieris præcepta contempserant. sagittis ambo confixi: alter postmodum occubuit. Sub hæc, ad auri venas investigandas Lusitani milites cum fabris in mediterranea Prætoris jussu profecti. eorum animis Azpilcueta pastor adjunctus. Ii per multos errores, variis, ut assolet, conflictati miseriis & ærūnis, denique ad Salvatoris

toris